

nem, per quam omne illud habetur, quod beneficio Bullæ obtineri poteſt, remiſſio peccatorum & pœnarum ſequitur: præcedit enim abſolutio à cenſuris, deinde à peccatis, & quia per illam non omnis pœna remittitur, additur Indulgentia plenaria; quæ non ad peccata, ſed ad pœnas pertinet peccatorum; ergo ſtare nequit ulterius peccatorum remiſſio; ſicut nec pœnarum, quæ ſubditur, cum iam per Indulgentiam plenariam remiſſa præmittantur. Ad quod dici poteſt ea, quæ de remiſſione peccatorum, & pœnarum adduntur, tantum eſſe prioris beneficij explicationem; quia enim non omnes capiunt verbum iſtud, quid ſcilicet Indulgentia plenaria ſit, & quid operetur ſimul cum remiſſione peccatorum, vtrumque additur cum maiori expreſſione; non quod puræ declarationis rationem habeat, cum addatur verbum *Orogar*; ſed quod factum iam virtute abſolutionis, & conſeſſionis Indulgentiæ, ratum habeatur. Vnde & additur. *In nomine Patris &c.* Quæ verba non ad ſolam declarationem referenda ſunt, ſed ad beneficij auctorem præcipuum. Et quidem verba illa poſterioris remiſſionis peccatorum poſſent conuenienter tolli; neque enim de remiſſione pœnæ accipi poſſunt, cum de illa ſtatim, vt de re omnino diuerſa ſubiiciatur: & pœnarum, quæ propter illa &c. Propter breuiſſimam etiam diſtanciam abſolutionis & Indulgentiæ poteſt verbum *Ororgo*, ad illam referri, vt etiam dicatur fieri, quod immediate ante factum eſt, & quodammodo pertinet ad illud: vt cum quis donationem facit inter viuos, quibus verbis illa perficitur, & nihilominus alia adduntur, quibus illa amplius declaratur, omnia ad illam cenſentur ſpectare; quod & in teſtamento accidit, eo nomine ſatis ſignificato; & tamen addit quis illam eſſe ſuam vltimam voluntatem &c.

278 Sed ſuper eſt adhuc ſcrupulus circa formam prædictam, ex eo quod in fine illius additur, *In nomine Patris &c.* vſque ad illorum enim verborum prolationem non videtur effectus abſolutionis haberi, ſicut neque eſt abſolutio ipſa perfecta. Vt enim conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſione 14. Cap. 3.* Forma abſolutionis plus aliquid continet quam verba illa; *Ego te abſoluo*; cum ſic definiat: *Docet prætereà Sancta Synodus Sacramenti Penitentiæ formam, in qua præcipue illius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſoluo &c.* Illud enim & cætera indicat alia eſſe neceſſaria. Quod autem ſint illa, *In nomine Patris &c.* ex ſequentibus Concilij verbis deducitur, dum ſic ſubdit: *Quibus quidem de Eccleſia Sancta more preces quædam laudabiliter adiunguntur; ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſaria.* Sic Conſilium. Atqui verba illa *In nomine Patris &c.* non ſunt preces, de quibus Concilium loquitur; vnde plures Doctores obſeruant eſſe verba illa, quæ ante præſatam formam dicuntur, adduntque propterea addi vt impetrent aptam diſpoſitionem, & ne intentione & formâ Miniſter abutatur. Sicut in Miſſâ ante conſecrationem petit Sacerdos oratione id, quod certâ lege effectum habet; vt videri poteſt apud P. Henriquez *ſuprà num. 7.* & apud citatos ab ipſo in *Gloſſa L. T. & V.* Vnde non videtur ſatisfacere

Expedita cum obſeruantia doctrina.

Dubium emergens ex verbis, In nomine Patris &c. in fine addit.

Sacramenti Penitentiæ forma ex Concilio Tridentino.

quod ait Cardinalis Lugo *ſuprà Diſput. 13. num. 38.* verba illa *In nomine Patris &c.* eſſe deprecatoria: licet enim hoc iſta ſit, de illis tamen non loquitur Concilium iuxta citatos Doctores, neque ſecundum communem exiſtimationem Miniſtrorum huius Sacramenti pro precibus habentur, ſed proteſtationis ſunt auctoris præcipui, cuius virtute perficitur Sacramentum: vnde incertum eſt an rationem habeant precum; cum tamen Conſilium de certis precibus ſit locutum. Et ita, proteſtationem talem ſub formâ verborum prædictâ eſſe de ſubſtantiâ Sacramenti tenent Durandus, Maior, & Petrus Sotus apud P. Suarium *ſuprà Diſput. 19. ſect. 1. n. 19.*

279 De hoc dictum à me *Tomo 2. Theologorum Problematum*, & quod ſententia dicta ſit probabilis negare non poſſum, quia & bonos habet Auctores, & fundamenta non leuia, licet oppoſita ſit communior, & pro ſe agmen habeat Auctori. Si iuxta eam loquamur, dicendû verba illa eſſe de neceſſitate adminiſtrationis Sacramenti licet conferendi, non tamen validè: & Conciliû de priori neceſſitate locutum, dum de precibus ait ad ipſius formæ eſſentiam minimè pertinere, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem: ſunt ergo aliqua verba, quæ ad eſſentiam formæ ſpectant, & alia quæ ad illius adminiſtrationem neceſſaria ſunt. Si ergo Sanctiſſimæ Trinitatis expreſſio ad eſſentiam non ſpectat, dicendum eſt ad Sacramenti adminiſtrationem eſſe neceſſariam ex Eccleſiæ præcepto. Illud ergo & cætera hoc indicat, & ſatis eſt vt ad formam dicantur talia verba ſpectare, & nomine formæ comprehendis ſicut de formâ conſecrationis Calicis communiter dicunt Theologi; & in conſecratione Hoſtiæ particula *Enim de eſſentia non eſt*, ſicut alia in aliorum Sacramentorum formis; & tamen omnes nomine formæ designantur. Iuxta contrariam autem ſententiam viâ eſt contrariâ procedendum, dicendumque vſque ad prolationem dictorum verborum non eſſe formam perfectam; nec tamen ex eo ſequitur Indulgentiam haberi virtute Sacramenti, licet intra formam ipſam videatur contineri; quia id per accidens ſe habet, nec proprie pars formæ eſt, ſed cum adiunctâ explicatione. Neque eſt contra rationem formæ, in qua inuocatio SS. Trinitatis de ſubſtantiâ eſt, ſi quidquam inter illa, & ſubſtantialia verba proferatur. Vt ſi quis in formâ Baptiſmi dicat *Ego te baptizo ſeruum Chriſti in nomine Patris &c.* quæ forma abſque dubio eſt valida: cum tamen verba illa *Seruum Chriſti* ad eam non ſpectantia, miſceantur. Quia verò explicatio talis apparet difficilis, & Theologi non probanda, ideo priori ſententiæ potiùs adharendum. De quo hæc ſatis.

280 Indulgentiæ ergo explicato nomine, ad Gratia nomen veniamus, quod eſt latiffimæ profectò ſignificationis, & beneficium omne complectitur, ſeu gratuitam conſeſſionem. Preſtius autem ſumptum vt ab Indulgentiâ diſtinguitur, gratuitam ſignificat conſeſſionem Pontificis, aut alterius poteſtatem habentis ab ipſo, ad aliquid, quod per Bullam conceditur, independenter ab illâ ſtare nequit aut ei ſimile, etiam ſpectans ad merum vſum Sacramentorum, propter dicenda

Verba prædicta an veniant nomine precum.

Dubij præcipui reſolutio, iuxta duas contrarias opiniones.

In formâ quomodo admiſerit aliqua non ſpectantia ad illam poſſint.

Gratia nomine quid in Bulla intelligatur.

circa facultates. Sic ergo gratia eſt poſſe comedere carnes, oua, lacticia, & ſagimen, vel non ſciunare in diebus prohibitis: poſſe audire ſacrum tempore Interdicti: poſſe item Euchariſtiam ſumere: quibus ſimilia ſunt poſſe laborare in dieſto: poſſe Officium ſpeciale recitare omiſſo communi: poſſe item illud anteponeere aut poſtponere, modo non permiſſo: poſſe vnâ Miſſâ obligationi plurium ſatisfacere, & ſic alia. Pro hoc videri poteſt P. Mendus *Diſput. 29. cap. 5.* qui tamen non ita exactè rem explanat, licet ea, quæ aſſert, ad præſens poſſint negotium deferuire.

281 Facultates ſequuntur, & videntur eſſe illæ, ratione quarum aliquid effici poteſt, alias non factibile, vt Oratorium habere priuatum, in quo Miſſa celebretur: admittere ad illam aliquos tempore Interdicti: poſſe eligere Confeſſarium ad ſpeciale abſolutionem. Quibus ſimiles ſunt poſſe Miſſam, quæ in loco diſtanti celebratur, adſpicere, & ſic eam audiendi præceptum adimplere: poſſe eligere ſepulturam in loco ſacro, quem maluerit quiſpiam: poſſe laicum decimas exigere: poſſe baptizari domi filios, Principum cum non ſint: poſſe Capellanum deſignare, qui domesticos abſoluat, & ſimilia. Et hic explicandi modus iuxta ſubiectam materiam aptior occurrit: licet P. Quintana. ex Iuris lexico alium explicationis modum adducat *Tomo 2. Tractat. 5. ſingul. 4. num. 3.* iuxta quem facultas eſt plena poteſtas rerum pro arbitrio gerendarum ſine impedimentis: & iurisdictionem importat, atque etiam cum licentiâ coincidit, quæ tunc datur, cum præceptum extat id prohibens, pro quo licentia conferitur. Benè tamen admonet omnia hæc, priuilegium, gratia, indultum, facultas, & licentia ſapè pro eodem vſurpari. Vnde exiſtimare poſſet quis in Bullâ gratiam & facultatem nihil diſtinctum deſignare, ſed maioris explicationis gratiâ iungi ad ſignificanda ea, quæ ſub diuerſis ſolent concedi nominibus, licet reipſa talia ſint vt ſimilibus poſſent indicari. Sed explicatio noſtra, vt dixi, conuenientior apparet, & præſenti materiæ magis adaptata. Quæ præmiſſa ſit iam

Facultates quæ in eadem.

DIFFICULTAS II.

Quid Religioſis circa Indulgentias liceat ſine Bullâ.

282 Dico primò. Religioſi Mendicantes, & qui eorum gaudent priuilegijs, poſſunt ſine Bullâ omnes lucrari Indulgentias, quæ ipſis ſpecialiter conſeſſæ à Sede Apoſtolica competunt, ſi perſonales non ſint. Sic Nugnus, Emmanuel Rodericus, Ludouicus à Cruce, Villalobos, Diana, & Trulleuch, quos adducit & ſequitur P. Mendus *Diſput. 29. num. 43.* Cardinalis Lugo *Diſput. 20. de Penitentiâ, num. 172.* P. Suarez *Tomo 4. de Religione, Lib. 2. Cap. 16. num. 40. Tract. 8.* P. Quintana *Tomo 1. in Appendix, Tractat. 4.* addens Ioannem à Cruce, & dicens eſſe certum *Dub. 1. num. 5.* & probatur ex Bullâ ipſius verbis adductis *num. 274.* cum enim de Indulgentiarum ſuſpenſiua facultate præceſſiſſet ſermo, addi-

Religioſi ad Indulgentias, quod ante Bullam licebat, perſonalibus exceptis.

tur: *Exceptis tamen conſeſſis Ordinum Mendicantium ſuperioribus quoad eorum Fratres tantum.* Vbi cum conſeſſionem prædictam non arctent Pontifices ad ſpeciale aliquid, de quo ſermo præceſſerit, ad omnia præcedentia debet extendi: vbi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. *L. de pretijs. D. de public. in rem act.* & ſapè alibi. Sed quia illæ tantum gratiæ excipiuntur, quæ ſuperioribus conſeſſæ ſunt in ordine ad eorum Fratres tantum, non deſunt qui cenſeant non poſſe exceptionem dictam ad Indulgentias extendi, quæ ſuperioribus non conceduntur in ordine ad eorum Fratres: neque enim ſuperiores facultatem præbent ſubditis Indulgentias lucrandi: quandoquidem illas etiam ipſi reſuſtantibus poſſunt obtinere, cum eiſdem immediate concedantur. Propter quam rationem ita tenet Acoſta in *Explicat. Bullæ queſt. 108. Baſſar. V. Priuilegium 3. num. 5. Verſ. Sed petes.* Et eſt illa non leuis, vnde res iſta redditur incerta, licet illam certam reputet P. Quintana *ſuprà.* Nec conuincit priuilegium Leonis X. pro Minoribus, de quo *num. 6.* cum recentiores Bullæ aliter proloquantur. Ac propterea Religioſis expediet Bullam ſumere, ne diligentia in re momenti tanti fruſtrentur. Poteſt tamen ad rationem dictam reſponderi Indulgentias concedi ſuperioribus quoad eorum Fratres, quia ita frequenter euenit, vt ſuperiores pro illarum conſecutione Romanam Sedem exorent, & ita perentibus conceduntur; non quidem vt eas ipſi ſubditis concedant, ſed quia illis, medijs Superiorum ſupplicationibus, conceduntur. Quod ſi aliquando ſine illis, ad eos tamen verba præcipue dirigitur. Quod quidem ſine vllâ impropriate in modo loquendi ſtare poteſt.

Quæritur an ſecundum ſententiâ argumentum.

Ex eo aſſertio non penitus certâ, vnde Bulla neceſſitas.

De perſonalibus præbabilibus fundatur.

283 Dixi: *ſi perſonales non ſint*, quia tales non videntur exceptæ, vt communiter tenent ſcribentes. Nihilominus fundari probabiliter poteſt non excipiendas ex regulâ iuris in 6. ſatis celebri. *Oportet beneficium Principis eſſe manſurum:* ergo cum Pontifex Religioſo Mendicanti Indulgentiam aliquam concedit, non eſt credibile velle ipſum, vt paulò poſt ceſſet Bullæ publicatione. Prætereà quod id quod dicitur de conſeſſione factâ ſuperioribus, propterea eſt, quia ita frequentius accidit; quod non tollit quin aliquando immediate Religioſi fieri poſſit: vt conſtat ex illuſtri conſeſſione Gregorij XIII. *Ann. 1579. die 23. Decembris*, per quam poſſunt Religioſi Societatis omnes Indulgentias in ſuis Eccleſiis conſequi, quæ in Eccleſiis alijs, aut locis pijs, certis diebus, qui eas viſitant, conſequentur. In illâ enim nulla extat ſuperiorum mentio, ſed conſeſſio ad Religioſos ipſos immediate dirigitur. Incipit: *Cum, ſicut accepimus.* Quis autem ex adductis Doctores contra Acoſtam ſententijs de prædictâ conſeſſione dubitauerit, eò quod ſuperioribus ſpecialiter facta non ſit? Dicendum ergo eſt Pontifices modo prædicto locutos, ordinariam formam concedendi ſpectaſſe, non tamen ad illam diſpoſitionis ſuæ decretum adſtringere voluiſſe: ſed Ordinum Mendicantium præcipue ſpectaſſe fauorem, vt eorum ſcilicet Indulgentiæ non ceſſent: quod pro certo ſtatuit P. Eſcobar ſtatim citandus *num. 794.* ergo & ſingularium perſonarum, in quibus idem pro fauore tali titulus

tilus deprehenditur, pro quo & rationes solent occurrere speciales. Videtur ergo hoc probabile.

*De Indulgentiis communibus Mendicantibus & secularibus dubia resolutio.*

284 Dico secundò. An Indulgentiæ, quæ communes sunt Religiosis, & secularibus sub exceptione dictâ comprehendantur, incertum est. Comprehendi quidem tenent Ludouicus à Cruce, & Ludouicus Miranda, quos adducit, & videtur sequi P. Quintana *suprà*, *Dub. 12. num. 1. P. Mendus* *suprà*, *num. 60.* iunctis iis, quæ habet *num. 43. citato*: unde & videtur sentire esse de mente Auctorum, quos ibidem adducit, & nos *num. 282.* & ratio esse potest; quia Indulgentiæ tales verè conceduntur Religiosis Mendicantibus: quòd autem & secularibus concedantur, non tollit priorem concessionem, loquendo cum omni proprietate. Sicut è conuerso concessio Religiosis facta non impedit quò minus secularibus facta dici possit propriè, licet cum respectu ad Religiosos. Sed contrarium tenet P. Escobar in Theologia morali *Tractat. 1. examine 17. Cap. 4. §. Legistæ. & Tomo 1. Moralium Problematum, Lib. 7. num. 796.* qui *num. præced.* pro eadem adduxerat Lopez, Nauarrum, Acoſtam, Trullench, & Rodriquez. Ratio esse potest, quam Textus ipse exhibet, dum in eo dicitur: *Quoad eorum Fratres tantum.* Quod satis videtur esse compertum. Quid enim particula illa *Tantum* operatur? Certè si non operatur quòd Religiosis concessæ Indulgentiæ quoad alios excipiendæ non sint, nihil videtur operari. Si dicas sensum esse vt tantum excipiantur concessæ quoad Fratres, id est, quatenus Fratres illis frui possunt; id certè verba non expriment, & sensus non est planus & expeditus, cum oppositum verba præferant. Nisi dicatur esse gratiam præter ius, & non contra illud, & ita fauorabiliter exponendam concessionem, iuxta dicta *num. 225. & 250.* & ea quæ circa Bullam habet Diana *Tomo 1. Tractat. 11. Resolut. 98.* Ex quibus apparet rem esse dubiam, unde ad certum Bullæ perſugium accurrendum.

*Eiusus fauorabilia.*

*Nouitios lucrari posse illos.*

*De Oblatis aut Donatis aliam esse rationem.*

285 Dico tertio. Nouitij Ordinum Mendicantium lucrari Indulgentias possunt, quas Religiosi, qui substantialia vota iam emiserunt. Sic P. Mendus *suprà*, *num. 44.* Trullench *Lib. 1. §. 9. Dub. 3. n. 4.* & alij, ex communi doctrinâ de fauorabilibus, quæ sunt Nouitiis cum verè Religiosis communia: & tenor ipse Bullæ videtur suffragari, dum in eâ dicitur, *quoad eorum Fratres*; Nouitij enim Fratres vocantur: unde videtur scienter & prudenter à nominibus Professorum, aut Religiosorum Pontifices temperasse. Si dicas etiam Oblatos, seu Donatos vocari Fratres, cum tamen in concessionem dictâ excipiendi non sint, vt apud citatum P. Mendum videri potest. Respondeo id non esse constans: & licet in vsu Religiosorum Fratres vocantur, non tamen eo communi nomine, quo appellari Religiosi Ordinum non Clericalium solent, & exprimit Commissarius in Bullâ Hispanâ, dum ait: *En quanto à sus Frayles.* Et eo quidem etiam Nouitij gaudent, unde manifesta est inter eos & Oblatos differentia. Et quamuis in aliquibus Religionibus eo communi nomine non vocentur Religiosi, nec dicantur Fratres, Frayles, certum est, si Mendicantes sint, aut Mendicantium priuilegiis fruuntur, exce-

ptione prædictâ comprehensos. Sic Trullench *suprà*, *num. 1.*

286 Dixi autem certum esse de Religiosis etiam non Mendicantibus, si Mendicantium priuilegiis fruuntur, quando communicatio talis est, vt in hac peculiari gratiâ nulla possit esse difficultas specialis. Et eam quidem multi non deprehendunt, ac propterea communicationem ad eam extendi testantur, vt videri potest apud Dianam *Parte 1. Tractat. 11. Resolut. 89.* vbi ita tenet cum Acoſta, & Villalobos, sicut & P. Quintana *suprà*, *dub. 12. num. 3.* & P. Mendus *Disput. 29. citatâ, cap. 7.* Quorum ratio est; quia communicatio generalis omnes particulares communicationes includit: ergo & istam, circa quam communicatio non excluditur, cum procedit de non Mendicantibus, priuilegio generalis communicationis carentibus; quæ enim illam habent Religionem pro Mendicantibus habentur. Quibus addi potest non censi reuocatum priuilegium, quando illud stare cum priuilegio alio potest, & priuilegij conditio est talis, vt nullum afferat præiudicium illo potentibus: sic enim stat quod ex iuris regulâ *superius* dicebamus, quòd scilicet oporteat beneficium Principis esse mansurum. Et quòd in fauorem inclinandum est, quando illud non est contra ius: id quod circa Bullam faciendum tenent plures, quos adducit & sequitur Diana *Tractat. citato Resolut. 98.* Potest autem priuilegium exceptionis stare cum communicatione Ordinum non Mendicantium in illis, in quibus generalis communicatio non subest: quia de aliis communicationem non habentibus intelligi possunt, qui sunt, aut esse possunt.

*Circa Religionem non Mendicantes, habentes tamen priuilegiâ communicationis, difficultas expedita primò secundum partem affirmatiuâ.*

287 Sed his non obstantibus alij contrarium sentiunt, vt videri potest apud Dianam, & P. Mendum citatos, in quibus sunt P. Henriquez, Emmanuel Rodericus, & Trullench, qui præter Fr. Emmanuelem, & P. Henriquez adducit Valerum. Et ratio est: quia licet Ordines aliqui non Mendicantes generalem communicationem habeant, quoad hanc partem videtur expressè reuocata. Si enim exceptos sic communicantes vellet Pontifex, cum tot illi sint, vt vix aliquis non communicans inueniatur, expressisset sanè; cum in eo magni profectò momenti negotium verteretur. Et quod de non Mendicantibus additum est, stante communicatione dictâ, nullius ferè vtilitatis fuisset: cum ignorare Pontifex nequeat communicationem ferè omnibus Religiosis esse communem. In summa: Ordines non Mendicantes, etſi in priuilegiis communicent, Mendicantes non sunt: illis hæc specialis negatur communicationis gratia: ergo ad ipsos nequit extendi. Si Mendicantes esse dicas per æquiualentiam, limitatio talis in causâ est, vt illa ad intentum concessionis nullius sit momenti, quandoquidem eo pacto nulla ferè resultat ad Catholicam expeditionem vtilitas quod postulantis & concedentis intentioni videtur aduersari: nequit ergo talis modus dicendi sustineri. Sumant ergo inter hæc opinionum incerta non Mendicantes Bullam: sic enim in tuto conscientiæ nauiculam collocabunt.

*Quid tantum.*

288 Dico quarto. Moniales eodem modo gratiâ exceptionis præfatæ frui possunt, quo & viri. Si ex Mendicantibus sint Ordinibus, eadem certitu-

*Circa Moniales eodem modo.*

*philosophandum.*

dine quâ & viri, de quo dictum *num. 282.* Si ex non Mendicantibus, vt nuper explicatum. Sic communiter tenent Auctores, quos adducit & sequitur P. Mendus *Disput. 29. Cap. 8.* & præcipue Trullench *suprà*, *num. 5.* ex quo ille præcipuam vim probationum exprompsit. De quo & videndus P. Quintana *suprà*, *Dub. 12. num. 9. & Tract. 8. Cap. 16.* Intelligenda est autem Assertio de illis, quæ verè Religiosæ sunt, unde Tertiariæ, quia tales non sunt, licet quædam vota emittant, fauore dicto non fruuntur: quidquid de nonnullis asserat Fr. Emmanuel *§. 12. num. 8.* & videntur probare Trullench *suprà*, *num. 6.* & P. Mendus *num. 57.* non ex eo quòd Religiosæ sint, sed ratione communicationis. Verùm communicationis titulus incertior hîc est, quàm in Ordinibus non Mendicantibus communicationem habentibus; quia absolute Ordines Mendicantes non sunt, & etiam non Mendicantes: unde Bullam sumant oportet, si volunt Tertiarij, & similes, securum hac in parte habere processum. Quoad Nouitias idem quod de viris dictum, asserendum.

*Tertiaria excluduntur.*

*Ad communes omnibus Indulgentias non opus esse Bullâ Religiosis, quæ prouent.*

*Cap. Quod ob gratiam.*

*Quæ contrarium ostendunt.*

289 Dico quinto. Ad lucrandas Indulgentias, quæ fidelibus omnibus generaliter conceduntur non videntur Religiosi Bullæ opus habere. Sic Ludouicus à Cruce in Bullam *Disput. 1. Cap. 9. Dub. 1. num. 13.* quod & fundare ex pluribus adductis conatur P. Quintana in *Appendice citatâ*, *Dub. 12. à num. 2.* & probatur Primò ex tenore Bullæ, iuxta quam suspensio Commissarij procedit: in eâ enim, vt vidimus *num. 274.* suspenduntur Indulgentiæ concessæ Ecclesiis, Monasteriis, Vniuersitatibus &c. in regnis Hispaniæ, & aliis, in quibus potest publicari: ergo non comprehenduntur Indulgentiæ omnibus fidelibus concessæ. Secundò, quia Bulla pro dictis regnis concessa rationem gratiæ insignis habet: ergo ratione eius non debent fideles, & multò potius Religiosi regnorum talium, peioris conditionis esse alii, ad quos Bullæ gratia minimè propagatur; aliâs gratia in præiudicium verteretur, contra iuris dispositiones diuersis in locis, & certam regulam in 6. *Quod ob gratiam alius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Tertio, ex Pontificis responso, de quo testimonium perhibent grauiſſimi Recentiores, vt affirmat Ludouicus à Cruce *suprà*, *num. 14.* Sic enim scripsit Cardinalis Pacieus Archiepiscopus Burgenſis ex Vrbe affirmans, non esse voluntatis Summi Pontificis reuocare vel suspendere per Bullam dictas Indulgentias.

290 Quæ quidem verosimiliter dicta sunt, sed sanè non conuincunt. Ad Primum enim dici potest Pontificem Commissario concedere facultatem suspendendi Indulgentias similes iis, quæ in Bullâ conceduntur: cum ergo prædictæ similes sint, suspendi possunt: vel si dissimiles velit quispiam, etiam pro illis facultas suffragatur. Suspendi autem illas praxis ostendit, dum in earum trãsumptis subscribitur eas lucratos Bullam Cruciatæ habituros. Ad Secundum, nimium probare; aliâs nullius gratiæ suspensio esset admittenda, quia ex eo Bullæ beneficium redditur onerosum, & gratia in dispendium retorquetur. Sed certè non sic accidit, sed vna gratia suspenditur, vt pro opere eleëmofynæ redeat illa, &

cum illâ plures aliæ affatim ampliores. Et pro eleëmofyna quidem rarus erit qui careat facultate: cuius incommodum ingenti aliorum commodo, & publicæ vtilitati non debet præiudicium generare. Quamquàm & dici possit absolute inuálidos ad eleëmofynæ largitionem communi Indulgentiarum fructu non priuari. Sic enim tenent multi, vt videri potest apud P. Quintanam *suprà*, *num. 3.* Ad Tertium, de tali responso non plenè constare, & vt Pontifex tunc viuens ita censuerit, de aliorum mente non simili, notitiam non haberi, & ita praxi standum, de quâ dictum: Non ergo firmum habent Religiosi præsidium hac in causâ, cum Indulgentiæ tales ipsis non concedantur sub eâ formâ, quæ in Bullâ exprimitur, Superioribus inquam quoad Fratres.

*Summè pauperibus non cessare Indulgentias.*

*Indulgentia pro secularibus tantum concessa suspenduntur.*

291 Dico Sextò. Si quæ sunt Indulgentiæ, quas Religiosi solis secularibus concedere possunt, per Cruciatam suspenduntur, vt patet ex tenore Bullæ, & suspensionis: *Quoad eorum Fratres tantum.* Sed quia hæc Indulgentia non est, sed gratia, de illâ dicendum *§. sequenti.*

Dico septimò. Si in Ecclesiâ Regularium sit altare priuilegiatum, in quo scilicet qui celebrat Religiosus, animam è Purgatorio liberare potest, incertum est an Bullâ indigeat, & ita circa hoc diuersimodè loquuntur Auctores. Aliqui generaliter dicunt gratiam huiusmodi non suspendi, sicut neque aliæ pro defunctis concessæ suspenduntur. Sic Trullench cum aliis. *§. citatò. Dub. 4. P. Quintana in Appendice Tract. 1. Dub. 15. num. 7. & 8. Lezana Tomo 3. v. Altare. num. 16.* Diana mutans sententiam *Parte 9. Tract. 2. Resolut. 22.* Quorum fundamentum est. *Primò.* Quia gratiæ suspenduntur, quæ & reualidantur pro iis, qui Bullam accipiunt: reualidatio autem pro viuus est, & non pro Defunctis. *Secundò.* Quia Indulgentiæ tales non suspenduntur per Tabularum Anni Sancti; & tamen suspensio est generalis. *Tertio.* Quia tantum suspenduntur ea, quæ, si non suspenderentur, tam pium opus impediretur, vt ex verbis suspensionis ipsius constat: quod tamen respectu Indulgentiæ huius non accidit, cum fideles, etiam si non suspendantur, eodem modo Bullam sint accepturi, cum pro ipsis adeò ingentes vtilitates eius beneficio consistat aduenire. *Quarto.* Quia Indulgentiæ tales sub nullo clausulæ suspensiuæ verbo continentur, vt patet discurrunt per singula; neque animæ Purgatorij sunt personæ secundum communem compellationem, sicut neque secundum exactam Philoſophiam. Quibus addi potest de Pontificum pietate non posse præsumi, vt concessionem Bullæ animas Purgatorij velint concessis aliâs beneficiis spoliare: Quòd si fauores ampliandi sunt, iuxta sæpius dicta, hic maximè id locum videtur habere, circa quod Christiana pietas adeò est sollicita, & Pontificum benignitas elucescit; unde in omnibus Canonicis Horis aliquod pro illis suffragium admiscetur. In casu autem quòd altaris priuilegium cesset, ait Trullench Bullam requiri in celebrante, & non in stipendium tribuente.

*Circa Altare priuilegiatum diuersitas sententiarum. Et fauorem fundamta.*

292 Contrarium alij absolute tenent, & P. Escobar. *Examine 17. num. 130. §. Suspenditur id procul dubio ita esse pronuntiat.* Quod & tenent Emmanuel Rodericus, Villalobos, Moniales, quos adducit & sequitur Diana *Tract. 11. citato.*

*Negatiua qui tenent, & qualiter probent.*